

grossorum similiter iusto emptionis interveniente titulo comparavit. Nos etiam ad emendationem dictae vicariae applicamus tria talenta denariorum usualium et unum maldare tritici sita in Gana in villa ad sanctum Gothdehardum vulgariter nominata, quae relicta quondam Sifridi dicti de Tubynheym beatae memoriae nomine dotis a nobis tenet, quae post obitum eius ad dictam vicariam cum omni iure et utilitate libere devolvantur. Praeterea ab eodem domino Vlrico ordinatum est et provide institutum, ut vicarius, qui pro tempore fuerit, divinum officium teneat in hunc modum: Die dominico missam de die, scilicet ipsam dominicam, in secunda, tertia et quarta feria missam pro defunctis, in quinta de sancto spiritu, in sexta feria de sancta cruce, sabato missam de beata virgine in altari praedicto celebrabit, nisi festum sollempne praepediat vel obsistat, in quibus nostri ac praedecessoris nostri domini Alberti beatae memoriae nec non dicti domini Vlrici suorumque progenitorum, [videlicet Gerwici patris sui et Gyslae matris suae, Henrici, Gerwici et Conradi fratrum suorum, Katharinae, Berchtae et Sophiae et Getae sororum suarum, nec non Bertrami avunculi sui in specie et aliorum progenitorum in genere¹⁾] memoria peragetur, adiicientes, quod memoratus vicarius singulis anniversariis nostrorum trium, scilicet nostri ac praedecessoris nostri domini Alberti antedictique domini Vlrici tria talenta, pro quolibet nostrum unum talentum, canonicis emancipatis praesentibus ministrabit. Ad haec similiter profitemur, quod de nostra licentia et consensu ius patronatus et potestatem conferendi dictam vicariam, quotiens eam vacare contigerit, supradictus dominus Vlricus sibi quoad vixerit reservavit, ipso vero mortuo ius huiusmodi et collatio ad episcopum, qui pro tempore fuerit, perpetuis deinceps temporibus pertinebit. Huiusmodi bona praememorata omnia et singula deo oblata saepedictus dominus Vlricus a nobis pro dote ad vicariam iam dictam appropriari et confirmari humiliter supplicavit. Nos igitur ipsius iustis petitionibus inclinati ex libera resignatione nostrorum vasallorum praedictorum, scilicet domini Johannis militis de Hersteyn, Gerlaci, Henrici et Nicolai dictis de Hvnysbere ac honorabilium virorum domini Henrici praepositi, Henrici decani totiusque capituli nostrae Misnensis ecclesiae, consilio et consensu pleno totius iam dicti nostri capituli praehabitis, institutionem et donationem huiusmodi approbando, in dei nomine et praedictorum sanctorum honore supradicta bona omnia et singula cum bonis nostris etiam applicatis, prout superius exprimitur, eidem vicariae in veram et specialem dotem ac possessionem perpetuam donamus et appropriamus in his scriptis et appropriatam etiam confirmamus decernentes, bona eadem in toto ecclesiastica ad ius et tuitionem ecclesiasticae libertatis perpetuis temporibus pertinere, omnia nihilominus et singula in hoc scripto contenta, per saepefactum dominum Vlricum facta, disposita et ordinata approbamus benivole confirmantes perpetuo duratura. Ut igitur praemissa per neminem in posterum infringi aut calumpniari valeant, sed potius inconcussa perpetua firmitatis robur obtineant, nostri sigilli munimine praesentem paginam duximus roborandam.

Nos quoque Waltherus praepositus, Henricus decanus totumque praelibatae Misnensis ecclesiae capitulum ad exprimendum consensum nostrum una cum venerabili domino nostro episcopo praedictis omnibus et singulis, quae grata, rata et firma habe-

1) Die Worte *videlicet Gerwici* — in genere sind von einer andern, wie es scheint spätern Hand eingeschaltet.